



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXXII. An praeuius concursus sit qualitas, vel in quo praedicamento sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

praeuius, tendit ad alterum, vt ad terminum, & sic non distingui vt duas actiones immediate tendentes ad eundem terminum, seu effectum, vna proxima, illa scilicet, quae est a causa secunda cum concursu simultaneo Dei, & alia, quae est a solo Deo mediante praedicta, ad quam proximè vt ad suum intrinsecum terminum tendit. Ita indicat Ledesina dict. art. 7. Sunt autem haec in primis voluntariè dicta, quia probari non possunt, deinde superflua, cum, quia illa actio, quae simul est a causa prima, & secunda, sufficit ad productionem sui termini, tum etiam, quia actio non indiget alia actione, quae fiat: nam per se ipsam immediate egreditur ab agente. Denique videtur etiam impossibile, vt vna actio tanquam terminus ad aliam comparatur, quia actio, vt actio est, semper est via tantum, alioqui si posset esse terminus alterius actionis, idem de priori diceretur, & sic posset in infinitum procedi: non possunt ergo duae actiones, vt actio, & terminus distinguantur, igitur distinguuntur non possunt illi duo concursus tanquam duae actiones realiter identificate cum eodem termino, seu effectui, seu cum eadem qualitate; haec enim omnia in idem recidunt. Vnde etiam concluditur, non distinguuntur tanquam duas passionés, vel mutationes cum eadem proportionem, quia vni actioni vna tantum passio respondet, quia sunt vna tendentia secundum diuersos respectus, idemque est de mutatione, quae sunt in Philosophia vulgaris, & ideo non oportet in eis immorari.

Ex hoc autem principio, quod concursus praeuius, & concomitans inter se distinguuntur realiter, aperte conueniuntur eundem concursus praeuius distinguuntur realiter ab actione, & effectui causae secundae, quia concursus simultaneus non distinguuntur in re ab actione causae secundae, vt supra ostensum est, & actio causae secundae non distinguitur a termino, seu effectui eius, vt est vulgare in Philosophia: ergo de conuerso quidquid distinguitur realiter ab hoc concursu simultaneo, distinguitur etiam realiter ab actione, & effectui causae secundae, vt per se notum est in rebus creatis. qui discursus, vt dixi, est euidentior in actionibus transeuntibus, sed reuera habet eandem vim in immanentibus, etiam libris, supponendum ad illas efficiendas dari praemotionem, per quam vel determinatur, vel compleatur, vel applicatur, vel ab alio modo inuatur potentia, iuxta ea quae mox subiiciamus.

CAPVT XXXII.

An praeuius concursus sit qualitas, vel in quo predicamento sit.

Haec est octaua dubitatio de hoc concursu, in qua explicanda non conueniunt dicti auctores. Nam, vt in superioribus tetigi, solum esse potest questio, an sit vera qualitas, vel sit pura motio, nam de aliis praedicamentis nulla potest esse dubitatio. Multi ergo ex defensoribus illius sententiae dicunt non esse qualitatem, sed puram motionem virtuosam, & quidam illorum dicunt esse sententiam expressam. D. Thomae 1. 2. q. 1. 10. art. 2. At D. Thomas ibi non tractat de concursu praeuius, vel comitante, sed generaliter de actuali gratia, quae distinguitur ab habituali, & sic habitus gratiae vocat qualitates, actum autem gratiae dicit non esse qualitates, vtique a solo Deo factas tanquam formas, quae sunt principia operandi. quod autem D. Thomas non loquatur de concursu, & quod hic sit sensus eius, ex verbis eius ostenditur. Dupliciter (inquit), ex gratuita Dei voluntate homo adiuuatur, vno modo in quantum

anima iuuatur, a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum: & hoc modo ipse gratuitus Dei effectus non est qualitas, vel motus quidam animi. Non loquitur ergo D. Thomas de concursu praeuius, sed de toto effectu gratuito prout distinguitur ab habitu, & illud dicit D. Thom. non esse qualitatem, vtique puram, & distinctam ab actuali motu animi: vel non esse qualitatem permanentem, & per modum qualitatis denominantis, sicut de passione dixit Aristoteles in praedicamentis. Alioqui certum est actum immanentem esse veram qualitatem, quod etiam supra diximus de actibus gratiae, qui omnes vocantur animi motus, quia non sunt sine actuali influxu, & effectione vitali potentialium animae. Et in hoc sensu distinguuntur ab habitibus, quos Deus solus infundit tanquam formas, vel qualitates, vt D. Thomas ait, quae sint principia actuum.

Omissa ergo auctoritate, ratio illorum auctorum prima est, vt euentus incommoda, quae ex illorum sententia solent interiri. Vnum est, quia si illa motio praeuia esset qualitas, vtique esset qualitas actiua, nam ad hoc ponitur vt agat, ergo indigeret motione primi agentis, etiam procederet in infinitum. Ideoque sustinendum est in motione quae non sit qualitas, ac subinde illa erit pura motio, quae datur causae secundae in actu primo sufficienter constituta. Aliud inconueniens est, quia si ille praeuius concursus esset per infusione qualitatis actiuae, illa esset per modum actus primi, & completet in homine principium sufficiens actuum conuersionis, vel amoris, & consequenter, qui illam qualitatem non reciperet, non haberet auxilium sufficiens ad operandum, quod in naturalibus est euidenter falsum, & in supernaturalibus ab ipsis etiam non amittitur, qui repugnat sanae doctrinae. Tandem argumentantur inductione, quia illa motio non est potentia, nam supponit illam, nec est habitus, quia non separatur ab actuali actione, sicut potest separari habitus, non est dispositio, quia est quasi actus ultimus, non ergo qualitas, sed pura motio. Confirmatur haec ratio, quia concursus simultaneus non qualitas, ergo nec praeuius erit qualitas.

Alij nihilominus eiusdem doctrinae defensores dicunt, banc motionem licet vt est passio quaedam in se, sit vera motio, in termino intentionis esse esse qualitatem, pro qua sententia citat Ledesinam, M. tem. Ioannem Vincentium, & alios doctissimos discipulos D. Thomae, ipse vero variè loquitur, nam in prima conclusione asserit hanc sententiam non esse omnino improbabilem: in secunda dicit, probabilius, & fere libere certum esse, hoc auxilium praeuium non esse qualitatem constituentem voluntatem in vltima consummatione actus primi, postea vero explicando distinctionem dicit, an sit qualitas nec affirmamus, nec negamus in praesenti. Et in concl. iterum ait, hoc auxilium nihil aliud esse, nisi diuinam motionem. At paulò inferius dicit secundum probabiliorem sententiam in voluntate, & simili potentia motionem ad actum immanentem esse qualitatem. Itaque licet neget hanc motionem esse qualitatem constituentem potentiam in actu primo (de quo puncto statim dicam), absolute videtur sentire esse qualitatem, quamvis paulo post dicat illam non esse nisi motionem passiuam, & factionem quamdam, quae omnia ostendunt perplexitatem quamdam, & obscuritatem, in concipienda, & explicanda entitate huius motionis.

Potest nihilominus haec sententia dupliciter suaderi. Primo à priori: nam hic concursus praeuius suadetur esse res quaedam, quam Deus verè, & propriè efficit haec opinio, in causa secunda, v.g. in voluntate, ergo ibi interuenit effectio Dei in causa secunda per mutationem eius, ergo etiam interuenit aliquid factum, quod

2.
Ratione ostenditur, i. vt vitentur absurdæ aliterius opiniones.

2. Id ostendit induc-tio.

3. Sententia in se, sit vera motio, in termino intentionis esse esse qualitatem.

Ledesina, Ioan. Vincentius.

4.

N

quod

quod non potest esse nisi qualitas. Antecedens supponitur expositione illius sententiae, asserit enim hunc concursum esse influxum Dei in causam secundam, qui influxus realis est, & non nisi in genere causae efficientis, ut patet, est ergo vera, & realis effectio Dei. Vnde fit evidens prima consequentia, quia non loquimur de effectione ut ab aliquibus consideratur ad intra in ipso Deo: sic enim cum non sit ipsa volitio Dei, non est motio formalis, sed effectiva, seu principium movens, de quo nunc non tractamus: loquimur ergo de effectione transiente siue per modum actione, siue per modum passionis consideretur, & sic necesse est esse actualem motionem, quia per eam voluntas, seu causa secunda aliter se habet, quam prius, quia actuatur illo influxu Dei, quo antea non actuabatur; interuenit ergo ibi motio quaedam, quod nullus illius opinionis sectator negat, vel negare potest, cum fundamentum eius opinionis potissimum sit, quia causa secunda non mouet, nisi mota.

5. Altera vero consequentia probatur facile, quia non potest intelligi aliqua effectio, quin sit aliquid factum: nec motio sine intrinseco termino, nec non potest esse via, quae ad aliquem terminum non tendat, motio enim via quaedam est qua passum ab uno termino in alium transmutatur, ergo non concursus ille prauius est motio Dei, alique terminum intrinsecum habere necesse est: ille autem non est ibi neque quantitas, neque substantia: ergo erit aliqua qualitas, quia nihil aliud cogitari potest. Respondet Ledesma terminum proprium, seu proximum illius concursus prauius esse, causam secundam esse praemotam: nam ultimus terminus ad quem tendit, est ipsa operatio, vel effectio causae secundae: sed haec verba rem non declarant, nec vim rationis elidunt; quia illud esse praemotum vel intelligitur tantum in se, ita ut idem sit, quod esse in actuali praemotio, vel sumitur in facto esse, id est, quod sit aliquid esse ad quod terminatur illa motio tanquam per eam factum, non tanquam per formalem causam, sed tanquam per viam, ut si dicamus, quod terminus calefactionis est esse calidum. In priori sensu non terminus illius praemotionis, sed quoniam formalis effectus eiusdem significatur. Omnis enim motus dat formaliter mobili actus moueri, seu esse motum, illud tamen est quasi esse formale, quod non est terminus motus, sed quasi formalis effectus eius, ultra quem necesse est terminum assignare, ad quem motus ille tendat; quia dum motus formaliter constituit mobile actum motum, necessarium est ut aliquod illud ducat, & moueat. Sic ergo praemotio haec si dat causam secundae formaliter esse praemotum, seu actum praemoueri, ad aliquid iam praemouet, distinctum ab ipso praemoueri, tanquam in terminum a via, & de hoc inquirimus, quid esse possit, nisi qualitas aliqua.

6. Vnde si esse praemotum in altero sensu explicetur, ut significet aliquid esse factum in termino per illam praemotionem, inquirimus quae sit forma, vel entitas dans illud esse, (seu ut verborum ambiguitas tollatur, quae terminum illius praemotionis in abstracto, sicut terminus calefactionis est calor, & illuminationis est lumen. Et ideo in concreto dici potest, terminum esse calidum, vel esse illuminatum: ita ergo si terminus illius praemotionis est esse aliquid ad quod causa est praemota, quae rimus formam in abstracto, quae dat illud esse, quae sit formalis terminus proximus illius praemotionis & tunc dicimus non posse esse nisi qualitatem, quia in nullo alio praedicamento cogitari potest. Et confirmatur, ac declaratur in hunc modum, quia vel causa secunda est spiritualis, vel corporea: si spiritualis mutari, vel moueri non potest, nisi ad quali-

tatem, praesertim per mutationem extrinsecam illi aduenientem. Et ita Ledesma ipse fatetur, inuoluntate, & intellectu hoc auxilium efficax esse qualitatem, ut supra retuli art. 6. concl. 3. Si vero causa sit corporalis, mutatio illa accidentaliter est, & non est ad locum, nec ad quantitatem; ergo non potest esse nisi ad qualitatem, quia iuxta doctrinam Philosophi ad alia praedicamenta accidentium non est per se motus, nec mutatio.

Alij contenti sunt dicendo motionem ipsam esse terminum productum per solam diuinam operationem, ut dixit Aluarez disp. 19. in ration. 3. pro 5. conclus. Sed non satisfacit, nam quare, a quo, quatur de operatione Dei ad extra, vel ad intra, distinetur? Primum dici non potest, quia illa operatio ad extra, non est nisi ipsa motio, neque motio ut motio producta potest esse intrinsecus terminus operationis transeuntis. Secundum autem non satisfacit, nam licet motio facta in causa secunda sit terminus, vel effectus volitionis diuinae, quae dicitur volitio ad intra, nihilominus externa illa motio, ut est via quaedam, habere debet aliquem terminum per illam factum, ut probatum est. Et amplius declarari, & confirmari potest exemplis, nam in omni alia quali instrumenti in praemotio, quam physice experimur, proprium terminum praemotionis distinctum ab effectu formali motionis inuenimus, & assignamus, ut in instrumentis artis motus, instrumenti est motus localis, qui semper habet suum proprium terminum, qui est ubi, & in vitro, quatenus praemouetur a calore, ut videat, intelligimus aliquam qualitatem illi impressam, quae est quoniam semen, & instrumentum obiecti. Et in lapide dum proicitur ante motum localem, intelligimus impressionem impetus tanquam praemotionem quandam, per quam imprimatur impetus, qui est quasi virtus instrumentaria proiciens, & inde docent omnes Philosophi impetum esse qualitatem, quia illa motio prauius aliquem intrinsecum terminum habere debet, qui non est ibi, quia illa impressio est ante motum localem, vnde necesse est concludendum debere esse qualitatem, quia nihil aliud esse potest. Nec satisfacit Philosophus respondendo terminum illius praemotionis esse hoc ipsum esse praemotum, vel eius fortiter pulsus, sed necesse est ut lignet formalem terminum, & formam proximam factam per fortem illum contractum, ut postea sit instrumentum localis motus rei proiectae. Sic ergo in praesenti vel illa praemotio nulla est, vel certe in proximo, ac intrinseco termino qualitatem aliquam esse necesse est.

Secundò principaliter potest hoc suaderi, quia rationes quibus alij contendunt hanc praemotionem non esse qualitatem, vel absolute, robant non esse creatam entitatem, vel nihil probant contra hanc qualitatem. Prima ratio ab inconuenienti erat de concursu processu in inanimatum, quia si esset qualitas, indigeret alia praemotio ad agendum. Ac idem se habet in quatuor de quacumque entitate creata, quae sit principium actuum alterius actionis; nam illa indiget concursu Dei, ac subinde indigebit praemotio, quia est entitas potentialis, & non est suum esse, quae sunt rationes, propter quas dicitur qualitas creata indigere praemotio. Responderi solet concursum prauium requiri in omni principio proprio causae secundae, non in ipsa praemotio, quae est instrumentum primae causae, quia sicut actio non indiget alia actione, qua fiat, ita nec praemotio alia praemotio, qua fiat, vel ad faciendum applicetur, quia applicando causam secundam applicat se ipsam, vel dum est applicatio alterius, est etiam sui ipsius; sicut quantitas seipsa est quantitas. Sed contra siue hoc sit verum, siue falsum habebit

Ex termino illius effectio, quae est aliqua qualitas.

Ledesma.

Explicatur ille terminus.

bebit locum, etiam ſi illa præmotio intrinſecè terminetur ad qualitatem, quia illa qualitas dicitur eſſe quaſi tranſiens, & omnino actualis, quæ per illammet actionem, ſeu præmotionem, qua ſit, applicatur etiam virtualiter ad operandum, cum virtute cauſæ ſecundæ, vel applicandam illam adagendum, vel quippiam ſimile.

Et ita etiam ad ſecundum dicitur, quod licet hæc præmotio ſit qualitas, non aliter complet vel applicat cauſam ſecundam ad agendum, quam ſi eſſet tantum motio, vel e contraſi ſi ex neceſſitate talis qualitatis ſequitur cauſam ſecundam carentem aliqua qualitate non eſſe ſimpliciter ſufficientem ad agendum. Idem certè ſequitur ſi præmotio ſit neceſſaria, & non detur, cuiuſcumque rationis, vel entitatis ſingatur eſſe talis præmotio, quia vt non ſit ſimpliciter ſufficientis, ſatis eſt, quod aliquid neceſſarium ad agendum deſit, & non habeatur, neque haberi poſſit quod argumentum ſepius in ſequentibus urgebimus, præſertim in cauſis liberis. Nunc autem ſolum concludimus argumentum illud, non magis probare præuium concurſum non eſſe qualitatem, quam non eſſe aliquam veram entitatem. Inductio verò quæ ibi additur, non eſt integra, nam licet prober illum concurſum non eſſe habitum, neque poſſibilem qualitatem permanentem, non probat quaſi eſſe tranſeuntem qualitatem ad modum impuſſus, vel certè ſi in aliqua cauſa ſecunda non creditur poſſibilis talis qualitas natura ſua tranſiens, quæ non ſit actus vitalis, vt in ſpiritualibus eſt probabile, multo erit impoſſibilior motio tranſiens ſine villo termino quicquid illa ſit, & tranſeat.

Ad confirmationem autem de concurſu ſimultaneo, facile negabitur conſequentia, quia concurſus ſimultaneus eſt in genere actionis, habetque eundem terminum cum actione cauſæ ſecundæ. Concurſus autem præuius eſt actio vel paſſio diſtincta ab actione cauſæ ſecundæ, & ideo ſuum terminum habere debet, qui non poteſt eſſe niſi qualitas. Et ita ſuppoſito tali concurſu præuius, multo probabilius eſt non conſiſtere in pura motione, vel præmotione, ſed eſſe talem præmotionem quæ qualitatem aliquam cauſæ ſecundæ imprimat, quod ex dicendis magis confirmabitur.

CAPVT XXXIII.

Vtrum concurſus conſtituat cauſam ſecundam in actu primo, vel complet virtutem eius ad agendum.

In hoc capite alia duo dicta de hoc concurſu tractanda ſunt, quæ ad totam hanc materiam intelligendam ſunt in primis neceſſaria. Primum, ſeu nonum in ordine eſt, an hic concurſus præuius detur cauſæ ſecundæ ad conſtituendam illam, vel ſaltem complendam in actu primo, vel potius per modum actus ſecundi, quod aliter interrogari ſolet, an ita detur, vt teneat ſe ex parte cauſæ ſecundæ, cuiusque virtutem compleat ad agendum, vel potius ſe teneat ex parte actus ſecundi, & ſit quaſi inchoatio eius. In hoc enim puncto valde inter ſe diſſentunt defenſores huius influxus in cauſam.

Prima opinio eſt, hunc concurſum tenere ſe ex parte cauſæ ſecundæ, ei que dare complementum actus primi, ſeu virtutis agendi: ita tenet Cabrera dicta queſt. 18. art. 4. diſp. 6. dub. 1. n. 59. & hanc ſententiam tenet etiam Aluarez locis infra citandis, eamque defendere multos doctiſſimos Thomiſtas reſert Ledefma, & ipſe probabiliter reputat, pluriſque rationes in fauorem eius adducit, quæ non

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

ſunt diſtinctæ ab his, quæ in cap. 27. ad perſuadendum hunc concurſum præuium adduximus. Fundamentum huius ſententiæ videtur, quia hic concurſus præuius datur cauſæ ſecundæ in ordine ad actionem, & non eſt influxus in ipſam actionem cauſæ ſecundæ, vt ſupponitur, ergo eſt influxus in cauſam ſecundam, & actiua eſt, quia aliàs non daretur in ordine ad actionem, ergo datur illi vt qualitas, vel motio actiua, cum ad agendum detur, ergo datur per modum actus primi, quia omnis actus, qui non eſt ipſa actio, vel terminus eius, & ad agendum datur, eſt actus primus.

Vnde etiam concluditur, per hunc concurſum compleri cauſam ſecundam in virtute agendi, hæc enim motio non dat cauſæ ſecundæ totam virtutem etiam in virtute agendi, ſeu intrinſecam actiuam in ſuo ordine, vt omnes ſupponunt, & latè probat D. Thomas 3. contra gent. c. 69. & 70. q. 7. de potent. art. 7. nec etiã talis motio dat virtutem cauſæ ſecundæ ad agendum, aliàs ſuperflue daretur, & non daretur illi vt qualitas actiua, ergo datur vt formaliter conferat ſaltem complementum virtutis actiue. Et confirmatur ex alio fundamento illius ſententiæ, quod cauſa ſecunda non habet virtutem principalem, etiam in ordine ſuo ad dandum ſuo effectui eſſe exiſtentia, ſed per hunc concurſum præuium recipit virtutem inſtrumentariam Dei ad dandum eſſe exiſtentia effectui ſuo, ergo hæc motio conſtituit cauſam ſecundam in actu primo completo ad dandum eſſe exiſtentia, & quoad illam complet virtutem eius. Tandem confirmatur ex D. Thoma 3. contra gent. c. 6. ration. 4. dicente, Complementum virtutis agendi ſecundæ eſt ex virtute agentis primi, idemque ſentit in dicto art. 7. de potent.

Aliorum verò ſententia eſt, hunc concurſum præuium non eſſe qualitatem conſtituentem cauſam ſecundam in actu primo, ſiue dando totam virtutem agendi, ſiue complendo illam in actu primo conſummato, ſed ſolum eſſe inſtrumentariam virtutem Dei applicantis, & mouentis cauſam ſecundam ad agendum, hanc opinionem probabiliorẽ, & ferè certam eſſe iudicat Ledefma ſuprà, & in diſp. de elect. ad glor. dub. 2. §. ad impugnationem, imò addit eam tenere communiter diſcipulos D. Thomæ, & alios grauiffimos Doctores, & videtur ſequi ex his, quæ dicit Aluarez diſp. 19. in quarta & quinta probatione tertiæ conſequentiæ, quamuis idem auctor in eadem diſp. ad 2. confirmationem eius, & in diſp. 18. ad primum, & in diſp. 21. nu. 7. expreſſe fateatur hoc auxilium præuium, ſeu complementum virtutis operatiue actus primi, & non eſſe actionem cauſæ ſecundæ, nec formaliter, nec realiter, ſed aliquid præuium ad illam. Solum ergo contendit non eſſe qualitatem actiuam, ſeu conſtituentem, aut complementum actum primum. Probatur autem hæc ſententia primò, quia cauſæ ſecundæ habent virtutes completas actiuas ſuorum propriorum effectuum, vt ignis caloris, Sol luminis, habitus charitatis ſui actus, & ſic de alijs, ergo non indigent complemento virtutis, aut actus primi, non ergo ad hoc eſt neceſſarius concurſus præuius. Secundò quia ſuperfluum eſt multiplicare tot qualitates actiuas, ad hoc vt cauſa ſecunda conſtituatur completè in actu primo. Tertiò, quia aliàs cauſa ſecunda ſic conſtituta in actu primo per illam qualitatem indigeret alio concurſu præuius, quod reduceretur de potentia in actum agendum: nam, vt ait D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 1. quantumcumque cauſa ſecunda ſit perfectæ in actu primo, indiget motione primæ cauſæ, & ratio eſt, quia actus primus ſolum eſt in potentia ad actum ſecundum, ergo cauſa completa per illam qualitatem, adhuc eſt tantum in potentia ad agendum, ergo indigebit alio præuius concurſu, quo actualiter moueatur, & applicetur, vt agat, & ſic vel procedatur in infinitum, vel liſtendum eſt in ipſo auxilio